



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

64. Universis & singulis &c. Monitorium die 6. Octobris 1711. expeditum
contra Auditorem Patrimoniam Gen. Cameræ Computorum, & plures
Officiales, Administros, & Executores Serenissimi Ducis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

MONITORIA MEMORABILIA

Illustris., & Reverendiss. D. The-
saurarii Generalis Reverendæ Ca-
meræ Apostolicæ.

Juxta temporis seriem disposita.

MONITORIUM

I.

Die 6. Octobris 1711. expeditum contra Audito-
rem Patrimoniale Gen. Cameræ Computo-
rum & plures Officiales, Administratos, & Exe-
cutores Serenissimi Ducis Sabaudie ob violentam
occupationem jurisdictionis temporalis, &
fructuum vacantium Abbatie Sancti Benigni
Fructuarien. Nullius, seu Hypporegien., aut
alterius Diocesis, ad Cameram Apostolicam
pertinentium, & alia multiplicia gravissima at-
tentata in Subditos, Colonos, atque etiam Eccle-
siasticas Personas ejusdem Abbatie cum viola-
tione Immunitatis Ecclesiasticæ, Supremique
Dominii S. Sedis Apostolicæ usurpatione.

*Joannes Patritius Archiepiscopus Seleucia Sanctissimi
Domini Nostri Papæ, & ejus Reverendæ Camera
Apostolicæ Thesaurarius Generalis & quorumcum-
que Spoliatorum, & Jurium Abbatiarum & Bene-
ficiarum Ecclesiasticarum vacantium in tota Italia
Collector Generalis, & specialiter à Sanctissimo Do-
mino Nostro Delegatus.*

Universis, & singulis RR. PP. Abbatibus, Prio-
ribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis,
Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sac-
ristis, tam Parochialium, quam Collegiarum
Rectoribus, seu earundem Plebanis, Vicle-
banis, Curatis, & non Curatis, ceterisque Pres-
byteris, nec non Clericis, & Tabellionibus qui-
buscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad
quos præsentis nostræ literæ pervenerint, seu quo-
modolibet presentantur, salutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis fuisse nuper coram Nobis
comparitum pro parte, & ad instantiam Illustris-
simi D. Gasparis Turchi Sanctissimi Domini Nos-
tri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ
Commissarii Generalis omni meliori modo Prin-
cipalis, & prævis probationibus assumptis ex-
positum, & deductum, quod cum die prima Au-
gusti 1710. seu &c. per mortem bon. mem. Joan-
nis Francisci Carron ex Marchionibus Sancti Tho-
mæ, dum vixit, Abbatis perpetui Abbatie S.
Benigni Fructuariensis, Nullius, seu Hipporegien.,
vel alterius Diocesis non longè à Civitate Tau-
rini existentis, eadem Abbatia, seu Commenda
vacaverit, & jure notorio dicta vacatione, &
cessatione attentata in eadem Abbatia, ejusque ju-
risdictione, bonorum administratione, fructuum
perceptione, nemo quicumque fuerit, & sit, ma-
nus apponere potuisset, vel debuisset præter Re-
verendam Cameram Apostolicam, ejus Collecto-
res, Subcollectores, & Ministros, nihilominus
ad instantiam D. Feccia de Cossato Auditoris Pa-
trimonialis Generalis Cameræ Computorum Se-
renissimi Ducis Sabaudie, non minus nulliter,
quàm injustè super jurisdictione temporali, & bo-
norum dictæ Abbatie administratione, & fruc-
tuum exactione eadem Cameræ Computorum se
ingesserit, imò, ut omnibus innotesceret hoc
prætensum, & usurpatum Jus, & Bona ejusdem
Abbatie, seu Monasterii esse sub administratione
ejusdem Serenissimi Ducis Cameræ Computorum
in iisdem Bonis, seu illorum aliquibus mandavit
apponi, prout fuerunt appositum pannocelli, seu

salvæguardiæ cum stegmate ejusdem Serenissimi
Ducis etiam cum deputatione Oeconomi in per-
sonam Josephi Antonii Rogerini de Chivasso, &
successivè die 2. Augusti prædicti ad instantiam
Josephi Bargnia Notarii Collegialis nomine dicti
Patrimonialis Generalis, Balthazar Ferrerius No-
tarius pariter Collegialis, & Actuarius ejusdem
Cameræ cum prætensâ speciali delegatione sibi
factâ à Camerâ Computorum prædictâ Edictum
publicaverit, in quo præcipiebatur eundem Ro-
gerinum ab omnibus in Oeconomum prædictum
recognoscendum esse, inhibendo cuicumque Per-
sonæ cujusvis status, gradus, & conditionis, ne
quocumque modo auderet se ingerere in dictâ
Abbatia, ejus Bonis, & jurisdictione sub pœnâ
aureorum centum Fisco dicti Serenissimi Ducis ap-
plicandorum, ac aliis eidem Cameræ Computo-
rum arbitrariis. Et deinde instante eadem Ca-
merâ Computorum, seu Rombelli illius Patrimo-
nialis Generalis alius ejusdem Serenissimi Ducis
emanaverint Edicta jurisdictioni Reverendæ Ca-
meræ Apostolicæ, & supremo Dominio Sedis
Apostolicæ valde præjudicialia occasione vacatio-
nis dictæ Abbatie. Verùm cum fructus Abbatia-
rum, Commendarum, aliorumque Beneficio-
rum Ecclesiasticorum tempore vacationum, seu
cessationum ad Reverendam Cameram Apostoli-
cam spectent, & spectare debeant, & tali jure in
retroactis vacationibus dictæ Abbatie, & Com-
mendæ S. Benigni à Nunciis Apostolicis, aliisque
S. Sedis Officialibus, & Ministris in Ditione ejus-
dem Serenissimi Ducis eò tunc existentibus dicti
fructus recollecti, & pro eadem Reverendâ Ca-
merâ custodiri, & eidem Cameræ Apostolicæ in-
corporati fuerint, & interea Officiales, & Juci-
ces pro Justitiâ administrandâ Vassallis, & Sub-
ditis in Oppidis, Castris, & Locis eidem Abba-
tie, ejusque existentibus Abbati Commendatario etiam
in temporalibus subjectis à Romanis Pontificibus,
seu Nunciis, aut aliis Ministris Apostolicis præ-
fatis constitui, ac deputari confueverint, & de-
beant, cum jurisdictione sit in fructu, & quemad-
modum Reverendæ Camera Apostolicæ juxta Con-
stitutiones Summorum Pontificum est Dominia,
& administrat fructus omnium vacantium per
san. mem. Joannem XXI., & alios Romanos
Pontifices applicatos indigentis Romanæ Eccle-
siæ, & Cameræ Apostolicæ, ita jurisdictiones om-
nes ad hujusmodi Abbatis vacantes spectantes,
quæ sunt in fructu, ad eandem Cameram per-
tinere debent, præsertim cum ipsa Oppida, Cas-
tra, & Loca sub alto, & supremo dominio pro
tempore existentis Romani Pontificis, ac S. R. E.
privativè quoad alios quicumque fuerint, & sint,
& ceteri debeant, idèdque Vassalli, Universita-
tes, & Homines eorumdem Oppidorum, Cas-
trorum, & Locorum soli Sanctæ Sedis superio-
ritati fuerint, & sint verè subjecti, & propterea
dicto Serenissimo Duci, seu ejus Magistratibus,
vel Ministris tempore vacationis, seu cessationis
Commendæ, seu Monasterii prædicti, Judices
constituere, aut alios jurisdictionales actus exer-
cere, & multò minus fructus Bonorum ad Mo-
nasterium, seu Abbatiam spectantium sub quocum-
que prætextu colligere, seu custodire, aut Oeco-
nomos deputare, & sic res ad Ecclesias spectan-
tes perturbare licuerit, nec liceat in præjudicium
Sanctæ Sedis, & Cameræ prædictarum; Nihilomi-
nus à die vacationis ejusdem Abbatie per obi-
tum dicti Abbatis à S. Thoma non solum, ut dic-
tum est, fuerunt appositæ Salvæguardiæ Ducales
in Bonis dictæ Abbatie, & Deputatus Oeconomi-
mus, sed etiam ab eadem Camerâ Computorum
fuerunt electi Juxta, alique Ministri, tum pro
administrandâ Justitiâ (licet nulliter, & absque
ulla jurisdictione); Tum pro recollectione, &

Camera
Computo-
rum Ducis
Sabaudie
superat ad-
ministratio-
nem bonorum
Abbatie ve-
cantis S. Be-
nigni, eju-
que jurisdic-
tionem ad
Cameram A-
postolicam
notorio jure
spectantes.
Deputat Oe-
conomus,
Judicem, &
alios Minis-
tros.

per.

perceptione fructuum, & reddituum ejusdem Abbatiae, prout hucusque armata manu, violentis, & carcerationibus adhibitis, jurisdictione fuit administrata, & etiam aliqui redditus tam inexacti, quam tempore vocationis maturati à Subditis, & Vassallis dictae Abbatiae nulliter, attentate, ac injuste ab iisdem Ministris Ducalibus exacti fuerint, non obstantibus Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, & praesertim Bullae in Caena Domini, sanctionibus, & posthabitis etiam, ac rejectis pluribus edictis de mandato nostro, aliorumque Officialium Sanctae Sedis in illa regione existentibus, publicatis, imò non obstante Breve Sanctissimi D. N. Papae super hoc emanato varia, & multifarie in oppressionem Subditorum Sanctae Sedis, in prejudicium Reverendae Camerae, & in contemptum supremi Domini ejusdem Sanctae Sedis attentarunt, & attentant, & signanter sub die 30. Septembris praeteriti anni 1710.

§. 2. Jacobus Rogerinus tamquam Agens Josephi Antonii Rogerini de Chivasso praetensi Oeconomi Bonorum dictae Abbatiae à Camera Computorum deputati associatus à quatuor, vel quinque Licitoribus Senatus Taurinensis se contulit ad Arcem Castrae Terrae Montanariae, & ab ea abripuit eminas decem, & septem panici, ut dicitur, *Melga bianca*, recollecti in Bonis dictae Commendae vacantis, & ad Reverendam Cameram Apostolicam spectantis, & illas sic ablatas reposuit in eodem Castro.

§. 3. Postidie, nempe primà Octobris ejusdem anni, Advocatus Octavius Felix Battaglionus ab Eugenia praetensis Judex in eadem Abbatia vacante deputatus in dicta Camera Computorum dicti Serenissimi Ducis, Joseph Antonius Rogerinus praetensis Oeconomus, Bernardus Vayra Notarius Loci Fogliasi associati à quinque ejusdem Speciei Satellitibus accesserunt ad Molendinum dictae Terrae Montanariae, & ab illo abripere fecerunt frumenta pro trituratione relicta *Molituray* nuncupata, quae successivè surripere continuavit Laurentius Caffo, alio nomine, Capitaneus Alexandrinus praetensis Minister, seu Agens Antonii Battuelli, Joseph Mariae Galimberti, & Georgii Boggi praetensorum Conductorum reddituum dictae Abbatiae sibi à dicto Abbate de S. Thoma, dum viveret, locatorum: Et successivè etiam alia frumenta, seu molituras modo per unum, modò per alium ex praedictis Ministris, aliquando divisim, & quandoque conjunctim, & ut plurimum ope Satellitum dicti Serenissimi Ducis adhibita usque ad diem decimam tertiam Aprilis praeteriti ablata fuerint in prejudicium Reverendae Camerae, ad quam dicta frumenta spectabant, & spectant.

§. 4. Supervenit dies quarta Novembris, in qua dictus Laurentius Caffo, duobus associatus Justitiae Militibus dicti Serenissimi Ducis ab altero ex eis Benedicto Trosti nuncupato, advocari sibi fecit de domo Josephi Ferrarii in Terrà S. Benigni, Felicianum Saudinum Procuratorem Fiscalem Abbatiale pro Reverenda Camera Apostolica deputatum, quem de domo egressum comprehendere fecit, & sic comprehensum arundine, seu bacillo ter in spatulis verberavit, ipsamque Saudinum de percussionibus reclamantem, idem Capitaneus evaginato ense ad festinandum versus carceres compulit, superadditis minis, quod si non festinasset, ipsum gladio transfixisset, injuriis una simul afficiendo, & gravando, & signanter, quòd de Molendino Capones, & frumenta furatus fuisset, & deinde eundem Saudinum prope carceres adducere, & demum ad Cauponam sub signo Coronae traducere fecit, & taliter comprehensum, verberatum, minis affectum, &

traductum, licentia vit, haec omnia perpetrando, ex quo tamquam Fiscalis pro tuendis Juribus Reverendae Camerae in eadem Abbatia sedulam operam navabat.

§. 5. Sequenti die 5. ejusdem Mensis Novembris idem Capitaneus dictorum praetensorum Conductorum Agens, fretus assistentià quatuor, vel quinque ex consuetis armatis Apparitoribus deliberatè per ipsum usurpatione omnium frumentorum, & leguminum repositorum in Horreis conjunctis, & connexis Ecclesiae, & Monasterio dictae Abbatiae, & in illius bonis recollectorum, ad Rev. Cameram spectantium, quorum Horreorum claves per Ministros dictae Rev. Camerae retinebantur, versus dictum Monasterium processit, & cum in itinere invenisset Antonium Morellum Servientem Curiae Abbatialis pro Rev. Camera, & Michaelem Violonum, illos à dictis Satellitibus intercipere fecit, & secum ad dictum Monasterium adduxit, quò ubi pervenerint, & praesertim ante unum ex dictis Horreis cum reperissent illius Ostium clausum, & munitum, per vim aperuerunt, reperitque in illo pluribus diversorum leguminum acervis, absque ulla mensuratione quantitatem singulorum, dictus Laurentius Caffo ad sui libitum adnotabat, & nova Ostio Horrei apposità serà, illoque reaptato, & clauso, clavem sibi retinuit. Postea cum iisdem associatus se contulit ad aliud Horreum in loco Immuni, & Sactario ejusdem Ecclesiae contiguum, cujus Ostium reseratum repertum fuit, tamen cum violentiae signis, quòd per antea ab ipsis Satellitibus factum fuisse deprehendebatur, & adinventis in illo frumentis, & secalibus, Ostium ad commodum usum restituerunt, novis pariter seris in eo appositis, illoque sit clauso, & clave sibi retenta, praedictus Laurentius Caffo recessit, & ad sui diversorium se contulit, & illic etiam traducere curavit dictos Morellum, & alium Adjunctum, quibus imposuit, & quavis minis coegit, ut cruce signarent quoddam folium suo cerebroso Marte semiscriptum super occupatae Annonae quantitate, & ab illis absque aliqua scripti narratione de re ignota Testimonium extorsit.

§. 6. Se receperat ad evitandas oppressiones in Ecclesia Terrae Montanariae unius ex Castris Abbatialibus, Antonius Ferrerus ejusdem Universitatis Syndicus, & sub die 12. dicti mensis Advocatus Battaglionus, ut supra praetensis Judex, Joseph Ombertus Notarius Ducalis, Joseph Antonius Rogerinus praetensis Oeconomus associati à quatuor, vel quinque ex consuetis Militibus, adivere Domum praefati Ferrerii Syndici, & de ordine ejusdem Advocati, de illa Milites subtraxerunt duas arcas nuceas, variae Annonae quantitatem, ac duas Juvenecas, quae omnia per dictos Executores fuerunt asportata, & respectivè adducta ad Castrum dictae Terrae.

§. 7. Sequenti die 13. Novembris cumulatè fuerunt violentiae contra Sanctae Sedis Subditos in dicto loco Montanariae; Nam praedictus Advocatus Battaglionus, Joseph Ombertus praetensis ejus Locumtenens, seu à secretis, Rogerinus praetensis Oeconomus, & Capitaneus Caffo nomine dictorum praetensorum Conductorum una cum decem vel duodecim armatorum Satellitum turmà, imperum ostiatim fecerunt in dictorum Subditorum, seu Vassallorum Domus, ac praedicta die, & per totum mensem, & quando eis videbatur ad libitum singulos requirendo, ut vigesimam panicorum (*Melga bianca* nuncupatam) traderent, & licet omnes contradicerent, & adversus talem requisitionem protestarentur, nolle illam consignare nisi Oeconomo, seu Subcollectorì Rev. Camerae Apostolicae, cui erat debita, nihilominus

prædicti Officiales aliquando omnes, multoties eorundem aliqui, & sæpissimè violenter fractis etiam januis, nullâ adhibitâ mensurâ prædictas vigesimas usurparunt.

§. 8. Retinuerat Michael Cenna Coloniam cujusdam Abbatis Prædii nuncupati *La Casina dell' Airale*; Huic Colonum Capitaneus Caffo, ut supra, assertus Agens dictorum prætenforum Conductorum; debitorem supponebat quorundam caponum, & carnis suillæ, propterea die 7. Decembris die Dominico sub tali prætextu illum à duobus Satellitibus comprehendere, & ad carceres Castri Terræ Montanarij adducere fecit, in quibus quatuordecim dierum spatio retentus fuit.

§. 9. Sub eodem prætextu succedente nocte subsequenti diei 8. Decembris, alterum Prædium Abbatiale adivit nuncupatum *la Casina delle mura*, novem, vel decem stipatus ex dictis Exequutoribus, & in somno repertis Dominico, & Joanne, Francisci Tessuti Coloni filiis, illos capere, & adducere fecit ad eosdem carceres, ex quo eorum Pater non tradiderat, ut prætendebat, suillam carnem, neque capones, in quibus carceribus fuerunt retenti decem dies circiter.

§. 10. Nondum sitis erat dictis Laicis Ministris perturbare, & lædere jurisdictionem Sedis Apostolicæ, & dictos Subditos Abbatiales vexare, & opprimere, sed etiam loca Sacra ausi sunt perturbare; Nam præviâ publicatione proclamatis per Cameram Computorum dicti Serenissimi Ducis super reparatione in Edificiis Bonorum Abbatialium faciendâ, destinati fuerunt Artifices, & die undecima Decembris Antonius Belminus de Lugano prætenfus operi Præfectus, Dominicus Furno, & Carolus Mussa Fabrimurarij, & prætenfi Partitantes dictæ Cameræ Computorum, auctoritate nulliter, & perperam ipsis commissa, se contulerunt ad Monasterium Abbatiale, & cum aliis Mercenariis, illius tectum conscenderunt agendo, operando, & ut eis videbatur, proseguendo circa ejusdem Monasterii regulamenta, absque ulla legitima facultate, parvipendendo Loci Immunitatem.

§. 11. Adhuc ulterius sprete fuerunt Ecclesiæ, & Cameræ Apostolicæ Ministri. Etenim illamet die undecima Decembris, in qua Fabrimurarij Monasterium manuserant, cum Marcus Aurelius Carlevaris Judex, seu Locumtenens Locorum dictæ Abbatiæ in Causis Sæcularibus, seu Laicalibus pro Rev. Camera deputatus ad evitandas pro sui posse personales violentias confugisset ad Ecclesiam Sanctæ Marthæ Terræ Montanarij, ad eam se contulit dictus Capitaneus Caffo cum Satellitibus, eidemque Marco Aurelio Judici Rev. Cameræ Apostolicæ injunxit de ordine prætenfi Judicis Battaglioni, ut ad ipsum se conferret sub pœnâ aureorum quinquaginta, cui dictus Locumtenens binas illi exhibuit præcepti nullitates, defectum nempe Jurisdictionis, & Territorij.

§. 12. Postidiè idem Caffo cum Licitoribus adivit molam frumentariam Loci S. Benigni pariter ad dictam Commendam, seu Abbatiam spectantem, & extractione seræ, violenter aperuit magnam Arcam, ubi molitura frumentorum asservabantur, illaque in facis reposita, unâ cum duobus animalibus suis asportare, & adducere fecit, ut prius factum fuerat de Molendino Montanarij.

§. 13. Conspirabant in dictum Marcum Aurelium Carlevaris tanquam Rev. Cameræ Apostolicæ Locumtenentem, & pro administratione Justitiæ in Causis Laicalibus durante vacatione dictæ Abbatiæ deputatum, licet in Ecclesiâ refugiatum, propterea ad eundem in janua Ecclesiæ morantem die 18. Decembris prætenfus Judex Battaglioni unum ex Apparitoribus transmisit, ut illi quam-

dam Præcepti copiam traderet, quam cum dictus Marcus Aurelius recusavisset, Apparitor ad illius pedes projecit, nec illam voluit recolligere, licet postea sciverit, fuisse copiam Præcepti, quo sibi imponebatur quorundam actorum Civilium consignatio.

§. 14. Nulla ferè currebat dies sine gravamine, quoniam sub die 19. Decembris memoratus Capitaneus Caffo rediit cum Exequutoribus ad Prædium nuncupatum *la Casina delle mura*, & ad superiora Adium Francisci Coloni ascensus, ubi propriam annonam retinebat, mensurari fecit eminas quinquaginta quinque frumenti, quas ablatas ad occupata Horrea Monasterii asportari fecit, præviâ declaratione, quod sibi dictum triticum assumpserat loco caponum, & carnis suillæ à dicto Colono (prout aiebat) debitorem, ultra expensas factas tempore, quo filijs ejusdem Francisci per plures dies fuerant carcerati.

§. 15. Nec etiam Tiburtio Cinnæ alteri Colono pepercit, nam eadem die 19. Decembris sub prætextu, quod ille in societate Thomæ, & Michaelis Cinnæ Colonus extitisset Prædij Abbatialis nuncupati *la Casina dell' Airale*, assumpto prætextu, quod & ipse esset debitor caponum, & suillæ carnis, applicando etiam illi prætenfum debitum expensarum pro recensita carceratione Michaelis Cinnæ, pariter ejusdem Tiburtij domum cum Satellitibus visitavit, & ab illa asportari fecit eminas quinquaginta panici, ut dicitur *Melga bianca*, ac eminas sexdecim aliorum leguminum.

§. 16. Superfuit alia in præsentis anni curriculo, etenim sub die 12. Januarii ipse Capitaneus Caffo, & dictus Antonius Belmino, & Dominicus Furno prætenfi partitantes pro Camerâ Computorum, se contulerunt ad Prædium nuncupatum *la Casina delle mura*, & sub prætextu, quod inibi faciendâ esset reparatio domus Colonice, seligere curarunt duodecim arbores quercus, & quatuor alterius speciei, & ille de ordine ejusdem Capitanei sub die 14. fuerunt successa.

§. 17. Hac eadem die 14. dictus Laurentius Caffo una cum duobus ex dictis Justitiæ Militibus, scopolis instructis, & secum adducens Magistrum partitantes nuper recensitos; accessit ad Castrum Lombardori pariter de juribus ejusdem Abbatiæ in Spiritualibus, & Temporalibus, repertoque Loci ostio munito; illud per vim aperuerunt, & sic ingressi cum vidissent Rev. Matthiam Vacea Ecclesiæ dicti Loci Præpositum, & Curatum, qui ad violentiæ strepitum accurrerat, bis ab eis fuit monitus, ut sisteret, qui tamenavidus ad suam properavit Ecclesiam, quem statim etiam insecti fuere prædicti Caffo, & Satellites armati unâ cum Antonio Belmino operum Præfecto, & Dominico Furno Fabromutario à dictâ Camerâ Computorum deputatis; Qui Capitaneus Caffo assistentibus Executoribus visitare fecit à nominatis singulas Ecclesiæ partes inferius, & superius, ac etiam exteriora loca Castri prædicti. Que violentiæ eapropter fuerunt adhibitæ, quia pridie supradicti Belminus, & Furno, ut supra deputati, se contulerunt ad requirendum eundem Præpositum, ut illos tanquam deputatos à dictâ Camera Computorum ad invisendam Ecclesiam pro illius reparatione admitteret, quod tamen permittere noluit dictus Præpositus, summè abhorrens exercitium jurisdictionis Laicalis Magistratus in suâ Ecclesiâ.

§. 18. Die verò 22. ejusdem mensis Januarii idem Battaglioni se Judicem subscribendo pro Camerâ Computorum dicti Serenissimi Ducis, dictæ Abbatiæ vacatione pendente, Præceptum expedit, seu manum Regiam contra Syndicos, & Administratores Universitatis Loci Flecti ad instantiam dicti Capitanei Laurentii Caffo tanquam

Agentis assertorum Conductorum super solutione Canonis à dicta Communitate, ut afferebatur debiti pro annis 1707., 1708., 1709., 1710. in summâ aureorum quatuor centum sub pœna aliorum aureorum centum Fisco Abbatiali applicandorum, cujus Præcepti copia projecta fuit ad pedes Joannis Petri Gamera Syndici, & Joannis Antonii Constantini Consilarii dictæ Communitatis per quemdam Intervientem, seu Bajulum Communitatis Lusighè.

§. 19. Adveniente die 27. Februarii dictus Advocatus Battaglionus eodem asserto titulo alteram Præcepti, seu requisitoria copiam transmisit, qua præcipiebatur prædictam solutionem cum effectu fieri debere, & faciendam fuisse per eandem Communitatem infra terminum decem dierum sub pœna viginti quinque aureorum, ut supra, applicandorum, cujus Præcepti copia per eundem intervientem, & Bajulum pariter projecta fuit penes dictum Joannem Petrum Gamera illam recipere recusantem.

§. 20. Advenit executionis dies, quæ fuit 24. Martii, in qua alias recensitus Notarius Josephus Ombertus de Chivasso, qui se gerebat pro Locumtenente, & à secretis prædicti Battaglioni in Abbatiali Territorio, & Laurentius Caffo cum quindecim Justitiæ Ministris armatis ingredientibus per apertas januas Domorum, Arearum, seu Stabulorum Incolarum Terræ Sancti Benigni, aliasque clausas per vim aperientes pro prædicto prætenso Communitatis debito, multa utilia, mobilia, femoventia, aliasque bona abstulerunt; Etenim in damnum Petri Benedicti Syndici duos Boves: In damnum Joannis Petri Gamera alterius Syndici, Currum ferratum, duos alios Boves una una cum Vitula: In damnum Martini Oberti pariter duos Boves, ac Juvenecam, & prævaluit mox fuisse illi etiam alia bona subtrahenda: In damnum Joannis Guglielmetti, & Augustini Jordani pariter de Consilio, Juvenecam unam pro quolibet: In damnum Joannis Matthei Oberto Apothecarii, quadam pœnnera Tabacci, alia pondera Olei ad comedendum, & Piscium salitorum cum aliis Domus, & Coquinæ utensilibus. Ultimo occuparunt integram Annenam Joannis Antonii Constantini, quam tamen eò tunc non extraxerunt, sed apponere custodias, & habitâ commoditate exterorum curruum de loco Boschi Nigri sub die 26. ejusdem mensis ad Terram Sancti Benigni fuerunt omnia adducta, & asportata, postquam nonnullarum aliarum ædium januas per vim aperuissent, nullâ in eis reperta re subtrahendâ, & postquam dictorum Bonorum facta fuisset publica licitatio nullo Oblatore reperto.

§. 21. In Terra Sancti Benigni die 28. Martii iterum prædicta omnia fuerunt voce Præconis subhastationi exposita in albo Prætorio, proclamante uno ex dictis Justitiæ Militibus nuncupato Bartholomæo Martelli, & licitante, oblationem augendam supra duplas viginti tres, altero ex eisdem Militibus nuncupato Luca Garone offerente duplas trigintaquatuor, & prosequuta proclamatione usque ad horam 16. fuit eadem dimissa, & omnia prædicta exequuta in odium dictæ Communitatis Fletti, ipsisque descendibus, fuerunt allata, & adducta versus Civitatem Taurini.

§. 22. Ad compescenda, modo quo poterat, hujuscemodi violenta attentata, ac tuendum Jura Rev. Cameræ Apostolicæ, & Jurisdictionem, ac supremum Dominium Sanctæ Sedis, Abbas Flavius Barbarossa Generalis Superintendens Feudorum Ecclesiasticorum pro Sanctâ Sede Apostolicâ in Principatu Messerani, & Crevacorii, aliorumque Locorum Commissarius, ac Gubernator, & in dictâ Abbatiâ Sancti Benigni, ac ejus Ab-

batialium Terrarum subiectarum alio domino dictæ Sanctæ Sedis cum Spirituali, ac Temporalis Jurisdictione specialiter delegatus, efformaverat die 20. Decembris 1710. in Terrâ Messerani Edictum postmodum die 8. Aprilis decurrentis anni affixum in dictâ Abbatiali Jurisdictione, & Territorio, & præsertim in Jannâ principali ejusdem Abbatialis Ecclesiæ Sancti Benigni, in quo Edicto, inherendo aliis de nostro ordine emanatis, & inibi publicatis, ac affixis, idem Abbas delegatus, reprobabat omnes actus turbativos usque tunc à Magistratibus Taurini, & eorum Deputatis nulliter, illegitimè, sine Jurisdictione, & attentatè factos in præjudicium Subditorum Jurisdictionis, & alii Domini Sanctæ Sedis, non sine Censurarum à Sacris Canonibus & Bullis Pontificiis indictarum incurfu, præcipiendo, & committendo eisdem Subditis, ut constanter, & fideliter etiam in futurum se gererent erga Sanctam Sedem, & in defensione, ac conservatione Jurium Rev. Cameræ Apostolicæ, seque absternerent à recognoscendis prædictis Magistratibus, eorumque assertis Ministris, nullamque eisdem obedientiam exhiberent, quinimò pro viribus eorum attentatis contradicerent, illaque quoad fieri poterat impedirent. Hoc Edictum, ut supra Jannæ Ecclesiæ Abbatialis affixum sub die 11. Aprilis dictus Capitaneus Caffo cum assistentia quinque Militum Justitiæ defixit, & secum asportavit.

§. 23. Eodem mense, die vero 14., Joannes Dominicus Battuelli alter ex prætenfis Conductoribus, ut supra, una cum Joanne Dominico de Mattheis de Vulpiano, adivit Prædium Abbatiali, nuncupatum *la Casina delle Mura*, ubi retinebantur fœna recollecta, quæ mensurare fecit à Perito ad hunc effectum adducto, & dum Mensurator à Ministro Rev. Cameræ transmissus ad eundem finem illic pervenerat, dictus Battuelli, vendidit dicta fœna eidem Joanni Dominico, & ob timorem forsan, quod illa subtraherentur, illic se contulit Capitaneus Caffo sclopo armatus cum tribus de consuetis Executoribus pariter armatis, & tota nocte inibi adstiterunt ad Custodiam.

§. 24. Successivè die 7. Mensis Maii præteriti, idem Capitaneus Laurentius adivit Ecclesiam Sancti Bernardini Loci Montanarii, & cum vidisset illius ostium munitum, per vim aperuit, & ingredi mandavit duos Fabros Murarios, quos secum adduxerat, affirmantes fuisse transmissos à Dominico Furno, ut supra, partitante, qui de ordine ejusdem Capitanei Caffo in dictâ Ecclesiâ se se operibus applicarunt.

§. 25. Nec omittendum, quod idem Capitaneus, Vir violentus, maxime fretus usurpatâ authoritate dictorum Ministrorum Ducalium, nec Ecclesiasticis pepercerit, quoniam illis assiduo minabatur, jactans velle illos appendi facere per guttura, & præsertim Rev. Priorem Franciscum Faraglio, & Andream Frola Sacerdotes, quibus etiam non semel minabatur velle illorum Animas intra Corpus adurere.

§. 26. Demum post alia attentata, violentas exactiones, & carcerationes Laicorum in dictâ Abbatiali Jurisdictione Sanctæ Sedis Apostolicæ Subditorum, manus in Ministrum Altaris iniecerunt; Etenim cum die 4. mensis Julii circa horam decimam quartam Rev. Sacerdos Jo: Dominicus Passera Subcollector, & Oeconomus Deputatus pro Rev. Camerâ Apostolicâ recollectione reddituum dictæ Abbatiæ vacantis, dum extabat in Loco Montanari dictæ Abbatiæ subiecto, & præcise in Atrio Domus Jo: Dominici Cassaro, supervenerunt Officiales Militares Garèl, & Borrell cum aliis Militibus Equestris Regimenti nuncu-

pati *Genue* Serenissimi D. Ducis Sabaudia, qui prius officiosam salutationem erga dictum Rev. Passeram exhibuerunt, illumque interpellarunt, ut equum, quem instructum, & vacuum conducerant ad deambulandum, unà cum ipsis confunderet, illum quodammodo illudentes, per quae verba nondum violentiam comprehendens dictus R. Passera, modestè renuit; At illi statim indixerunt, ut jamdudum paratum equum ascenderet nullà morà, & sic militibus circumdatus, & constipatus, illic agnovit non officiosam salutationem, & deambulationem exhibuisse, sed grave imperium sibi injunxisse, idèque timore perculsus paruit, & dum in equum ascendere parabat, alter adstantium Militum breviores scopos, qui ephippio anteriori equi erant appensi, de suis receptaculis subtraxit, & alter ad nutum dicti Officialis Garel habenas ejusdem equi apprehendit, ne fugam sibi parere posset, sed certior factus dictus Miles à Rev. Passera, quod ab eorum manibus nec evadere, nec fugam arripere proposuerat, dictus Miles habenas dimisit, & ad liberum usum dicti Sacerdotis reliquit, quem cum sic arrestatum militari more vidissent, & in magnà angustia positum agnovissent nonnulli ex Contreraneis Civibus, eidem suaserunt, ut constanti animo injurias, & sacrilegas oppressiones toleraret, quapropter dicti Officiales, & Milites eundem Sacerdotem Passeram circumdatum, & constipatum traduxerunt versus Terram Chivassu, & deinde mutatis equis veloci cursu traductus fuit usque ad confinia Domini Serenissimi Ducis Sabaudia, ubi cum Ducatu Mediolanensi contemnat, ibique fuit à Militibus dimissus, sibi injuncto de ordine Serenissimi Ducis praedicti praescripto, ne in posterum auderet pedes apponere in Locis ejusdem Serenissimi Ducis, & sub ejus Dominio existentibus.

Rebusque aliis, prout in Processu, & Processibus desuper constructis praedicta omnia memorati.

Fecia de Cossato Auditor Patrimonialis Generalis.

Rombelli Patrimonialis Generalis.

Balthazar Ferrerius, &

Joseph Bargnia Notarii Collegiales.

Advocatus Octavius Felix Battaglionus ab Eugenia.

Joseph Omberto Notarius de Chivasso.

Joseph Antonius Rogerinus.

Et Jacobus Rogerinus pariter de Chivasso.

Prior Antonius Battuelli.

Joseph Maria Galimberti.

Georgius Boggio.

Laurentium Casso nuncupatus il Capitano Alesandrino.

Bernardus Vayra Notarius de Fogliasso.

Garel, &) Officiales Militares.

Borel

Antonius del Mino de Lugano.

Dominicus Furno.

Carolus Mussa.

N. N. N. Milites Equestres, qui praesiterunt assistentiam, & associationem in arresto, & traditione dicti R. Sacerdotis Jo. Dominici Passera.

N. Scrviens, seu Bajulus Communis Lusighe.

Benedictus Troyse.

Bartholomaeus Martelli.

Lucas Garrone, &

N. N. N. alii Justitiae Milites, quocumque nomine nuncupentur usque ad numerum duodecim.

Commiserunt, & perpetrerunt instando, mandando, committendo, judicando, actu scribendo, exequendo, adherendo, assistendo, auxilium praestando, Instantias fieri committendo, vel permittendo, administrando, Jurisdictionem exercendo, fructus exigendo, alienando, iu Ec-

clesiis manus apponendo, Immunitatem Ecclesiasticam violando, aliaque attentata committendo, & semper Jurisdictionem, altumque dominium Sanctae Sedis Apostolicae, & Jura Rev. Camerae laedendo, & usurpando tam conjunctim, quam separatim, & divisim, & aliis omni &c. singula singulis congruè referendo, ita ut utile per inutile non vitietur, nec è contra, non solum &c., sed & omni &c. super quibus &c. penas propterea ac Censuras in Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, & praesertim in Bulla in die Cerae Domini quotannis legi solita, damnabiliter incurrendo. Fuimus propterea pro parte supradicti Illustrissimi D. Gasparis Turchi SS. D. N. Papae, & R. C. A. Commissarii Generalis instantè, & debite requisiti, quatenus sibi in praemissis de opportuno Juris remedio providere; Monitoriumque ad partes ad personaliter, vel legitime comparandum sibi decernere, & concedere dignaremur.

§. 27. Nos itaque petitioni hujusmodi, tamquam justae annuentes, Vobis omnibus, & singulis supradictis, & Vestrum cuilibet in solidum tenore praesentium, committimus, & in virtute sanctae obedientiae strictè praecipiendo mandamus, quatenus statim visis, & receptis, praesentibus, & postquam praesentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum requisitus fuerit, ex parte nostra, imò verius Apostolica auctoritate anedictos,

Feciam de Cossato Auditorem Patrimoniale Generale.

Rombelli Patrimoniale Generale.

Balthazarem Ferrerium, &

Josephum Bargniam Notarios Collegiales.

Advocatum Octavium Felicem Battaglionum ab Eugenia.

Josephum Omberto Notarium de Chivasso.

Josephum Antonium Rogerinum.

Et Jacobum Rogerinum pariter de Chivasso.

Priorem Antonium Battuelli.

Josephum Mariam Galimberti.

Georgium Boggio.

Laurentium Casso nuncupat. il Capitano Alesandrino.

Bernardum Vayra Notarium de Fogliasso.

Garel, &)

Borel) Officiales Militares.

Antonium Delmino de Lugano.

Dominicum Furno.

Carolus Mussa.

N. N. N. Milites Equestres, qui praesiterunt assistentiam, & associationem in arresto, & traditione dicti R. Sacerdotis Jo. Dominici Passera.

N. Scrviens, seu Bajulus Communis Lusighe.

Benedictum Froise.

Bartholomaeum Martellum,

Lucam Garone, &

N. N. N. alios Justitiae Milites quocumque nomine nuncupatos usque ad numerum duodecim.

Moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, eisdemque, & cuilibet ipsorum praecipiat, & mandetis, prout nos eisdem harum serie citamus, monemus, & requirimus, eisdemque, & cuilibet eorum praecipimus, & mandamus per praesentes primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra quadragintaquinque dierum spatium ab executione praesentium computandorum, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro secundo, & alios quindecim pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinà Canonica monitione assignamus, & vos assignetis, debeant, & cuilibet ipsorum, prout eos tangit debeat Romae coram nobis personaliter, vel legitime comparuisse, & comparere ad deducendum, & allegandum cau-

Nominata
tatorum ad
comparandum
& allegandum
causam quare
&c.

lam quare non debeant ipsi, & eorum quilibet in omnes, & singulas Censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solita contentas, inflictas, impositas, & comminatas, incidisse, & incurrisse, declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, & respectivè ipsi non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, & super præmissis cum dicto Illustrissimo D. Commissario Generali, & aliis cum quibus opus fuerit Juri stetit, & deque eorum Innocentiâ, si qua sit, legitime docuisse, præsentique nostro Monitorio omnino partuisse.

28. Certificantes eosdem sic monitos, requisiti, citatos, & eorum quemlibet, quod si in prædicti Monitorii termino non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, seu comparationem distulerint, vel distulerit, nos nihilominus ad ulteriora Juris, & facti remedia, & ad declarationem incursum pœnarum prædictarum usque ad Sententiam, illiusque executionem includivè, prout Juris fuerit, per contradicatas per Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel absentia, & aliis quibuscumque non obstantibus. Et cum excessus prædicti patrati fuerint in Jurisdictione, & Territorio Abbatiali S. Benigni, & valde notoria sit violenta occupatio Jurisdictionis S. Sedis, & Camera Apostolica, & nihilominus ad supererogationem ex pluribus etiam Testium depositionibus hæc omnia comprobata remaneant: Cumque pro præsentis nostro Monitorio exequendo tutus non pateat accessus, propterea volumus, & autoritate nostra decernimus idem nostrum Monitorium contra omnes supranominatos exequi mediante affixione, & demissione ejusdem copiarum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum S. Petri in Vaticano, & Magnæ Curie Innocentianæ, nec non ad valvas Ecclesiarum Terrarum, & Locorum Abbatialium S. Benigni, quo sic exequuto, & in actis infra scripti nostri Secretarii legitime reproducto, ita eosdem monitos, & eorum singulos arctare, & adstringere perinde valeat, ac si personaliter & magis legitime executionem foret contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curia Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo undecimo Indictione quarta, die verò 6. Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divinâ providentiâ Papæ XI. Anno undecimo.

Jo: Patricius Archiepiscopus Seleuciæ Thesaurarius Gener. & specialiter Delegatus.

Pro D. Jo: Antonio Tartaglia R. C. A. Secretario.

Astulphus Gallappus Consecrarius.

Die 17. Februarii 1712. Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curie servari solitis, lata, & publicata suis contra omnes Citatos Consimiles Sententia declaratoria incursum in omnes, & singulas Censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas: Eademque die decreta, & relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palam affixa sunt publica Scheda Cedoloni-nuncupata, qua ipsi universis Christianis fidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitandi, tenoris sequentis videlicet.

Hic autoritate Apostolica Nobis delegata Fe-
cia de Cossato Auditor Patrimonialis Generalis Ca-

mera Computorum Sereniss. Ducis Sabaudia, Rombelli Patrimonialis Generalis, Balazar Ferrerius, & Joseph Bargna Notarii Collegiales, Advocatus Felix Battaglionus ab Eugenia, Joseph Umberto Notarius de Chivasso, Joseph Antonius Rogerinus, & Jacobus Rogerinus pariter de Chivasso, Prior Antonius Bartrulli, Georgius Boggio, Laurentius Casfo nuncupatus il Capitano Alessandrino, Bernardus Vayra Notarius de Foglisso, Garel, & Borel Officiales Militares, Antonius del Mino de Lugano, Dominicus Furno, Carolus Mussa N. N. N. Equestres, N. serviens, seu Bajulus Communitatis Lusighe Benedictus Troise, Bartholomæus Martelli, Lucas Garone, & N. N. N. alii Justitia Milites quocumque nomine nuncupati usque ad numerum duodecim: declarantur excommunicati, & innodati omnibus, & singulis Censuris, & pœnis in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solita contentis, & à Fidelium consortio disjuncti, segregati, & separati, à quibus non nisi à Sanctissimo Domino Nostro, & Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, & tunc cum reincidentia eò ipso, postquam convaleserint, absolvi possint, ex quo vacante Ven. Abbatia, seu Commenda Sancti Benigni Fructuariensis Diocesis non longe à Civitate Taurini existente à die 1. Augusti 1710. seu &c. per obitum bo: mem: Joannis Francisci Carron insurrexerint omnes supra nominati, usurpando Jus, & Bona ejusdem Abbatie sese ingesserint in administrationem, & fructuum perceptionem cum deputatione Oeconomi, Edictorum publicatione, Judicis, aliorumque Ministrorum electione tam pro administranda Justitia, quam pro collectione, & perceptione nonnullorum fructuum ejusdem Abbatie, prout huc usque armata manu violentis, & carcerationibus adhibitis, jurisdictione administrata fuit, fructusque nonnulli recollecti, non obstantibus sanctionibus Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, & respectivè Bullæ in Cœna Domini, & pluribus Edictis de mandato nostro publicatis, imò non obstante Breve Sanctissimi Domini Nostri Papæ super hoc emanato, vanè, & multitudine in oppressionem subditorum S. Sedis, in præjudicium Reverendæ Camera attentarunt, singula singulis congruè referendo, & aliâs prout latius in Sententia per nos lata continetur, ad quam &c. Ideoque tamquam excommunicati, & supradictis Censuris Ecclesiasticis innodati, & illaqueati, ab omnibus Christianis fidelibus evitentur, quousque absolutionis Beneficium ab eodem Sanctissimo Domino Nostro sive à Romano Pontifice pro tempore existente obtinuerint. Instante Illustrissimo Gaspare Turchi Reverendæ Camera Apostolicæ Commissario Generali.

Joannes Patricius Archiepiscopus Seleuciæ Thesaurarius Generalis, & specialiter Delegatus.

Jo: Antonius Tartaglia R. C. A. Secr.

Amoventes, lacerantes, seu quomodolibet deturpantes sint ipso facto isdem Censuris innodati, & excommunicati, ut supra.

Joannes Patricius Archiepiscopus Seleuciæ Thesaurarius Generalis, specialiter Delegatus.

Jo: Antonius Tartaglia R. C. A. Secr.